





Honoribus Gamicis

Honestissimi viri

Dn. IOHANNIS DILLIGES Negotiatoris apud Stetinenses Celeberrimi, SPONSI

Cum pudicissima atq; lectissima Virgine

BARBARA

Prudentissimi atq; spectatissimi viri

Dn. BONAVENTURÆ VVERTERI Inclytæ Sedinensis Reipublicæ Camerarij dignissimi Filia SPONSA.

4. Febr. Anni 1622. Nuptias solenniter celebrantis.

Gratulantur amici Studiosi.

STETINI, Typis Duberianis, Anno 1622.



I.

BRumæ tempus adest, nunc & tristißimus annus,
Concrescunt rigido flumina cuncta gelu.
Nunc avulsa jacet viridãtia germina Sylvis,
Linquit humus flores, atq; colonus agros.
Dulce sonare negat carmen quoq; blanda volucris,
Nec cupit in ramo tecta parare sibi.
Sed quamvis mæstæ sint Sylvæ, homines, volucresq;,
Jam penetret quamvis omnia frigus iners:
SPONSE tamen Præstans hyemis tu tristis es expers,
Non animum Boreæ vis truculenta quatit.
Ardenti quoniam pectus jam fervet amore,
Haudq; tibi luxit lætior ulla dies.
Arbos fœcundo tibi pulchra virescit in horto,
Quæ fructum meßis fert hyemisq; die.
Usq; hæc florebit, donec decerpserit atra
Jllam mors; absit mors tamen atra diu.
Donec & hæc floret, fulgebit candida semper
Lux, ac spontè tibi germina læta dabit.
Non decet hoc igitur tristis te tempore vultus,
Gaudia sed placidâ mente agitare nova.
Lætitiâ thalamus quoq; poscit corda repleta,
Dulcis tristitias odit amorq; graves.
Sit frigus, sit hyems glacialibus aspera ventis:
Ne modò vester amor frigeat atq; torus;

Vox

Vox avium suavis sileat, sub cordeq; curas
Versent: Ne modo vos sollicitudo premat;
Sit quoq; nullus honor sylvis, nec gramina campis:
Perpetuò constans sit modo vester honor.
Quare age jam vultus tibi sumito, SPONSE, serenos,
Et tu perge jocis, SPONSA pudica, frui.
Interim ego vobis sincero pectore grator,
Conjugio Musæ dent pia vota meæ!
Sidere felici tædæ tua gaudia casta
Concelebres, summi præsidioq; DEI.
Mutua conjunctas firmet concordia mentes,
Aurea pax vestrum cingat ubiq; torum.

Felix Braunschvveig Sp. cog. F.



II.

PARODIA HORATIANA

ex libro I. Carm. Od. XXXVI.



ET voce, & fidibus juvat
Cantare, & Genij carmine melleo
JOHANNEM thalami procum:
Qui nunc Aligeris ductus ab Entheis
Multis chara sodalibus
Nulli plura tamen dividit oscula,
Quam dulci SOCIÆ, memor
Ductæ non aliæ mente puertiæ,
Augendæq; simul domus.
Lætâ ne careat pulchra dies nota:
Neu dulcis modus organi,
Neu morem in Saliûm sit requies pedum:

Neu tetri Stygius meri
SPONSOS cerbereâ vincat Amistidide:
Neu desint Epulis rosæ,
Neu vivax apium, neu nova Jubila,
Omnes conjugij preces
Adjungent facibus, ne Sathanæ malo
Divellentur acinace,
Adversis furijs Jmperiosior.

Anagramma
Ex Nomine SPONSI & SPONSÆ
IOHANNES DILLIGES
BARBARA VVERTERES.
Bella venis ? his uror sat, dignare beare!

FAto junguntur, Fato solvuntur Amantes!
Corda duo unum sint jungit amore DEVS.
Fato sic castis Virgo me cepit ocellis;
Fato eadem juncta est SPONSAq; BELLA (mihi.
Vnus amor, nos una Fides, atq; una voluntas
Iunxit, nos ambo mutuus VRIT amor.
VROR ut inducto ceratæ sulphure tedæ;
Res est solliciti plena doloris amor. (BEARE!
SPONSA VENIS, ô BELLA VENIS, DIGNARE
HIS VROR flammis SAT, mea SPONSA VENIS:
SPONSA VENI! Infixum stridet sub pectore vulnus
Vulneris at certum tu medicamen eris.
Sis MITIS, sis BELLA mihi, nec BARBARA victo!
Victas, victrici dum tibi trado manus.
Non bene conveniunt nec in unâ sede morantur
BARBARIES, forma GRATIA BELLA tua.

BAR-

BARBARA nomen habes, nullum sit in omne pondus!
Ne mihi sit semper noster amarus amor. (*BEARE!*
BELLA VENIS? HIS URO R SAT, DIGNARE
Vincula prole DEUS nostra BEABIT ovans.

Honoris E. faciebat
Adamus Thim Gur-SiL.



III.

A Deo quam plurima munera haurit,
Qui subit casti sociale fœdus
Conjugi, & spondæ sociâ jugalis
jungier ambit

Nam Dei est insigne pudica sponsa
Munus, hoc majus meliusve nullum,
Res nec in toto magis ulla dele-
ctabilis orbe.

Hæc fidem præstat, thalamiq; sancta
Vincla non solvit, socium sed unum
Novit amplecti, Cypridisq; vitat
furta superbæ:

Plurimâ stirpem amplificat mariti
Prole, proventu gravidi benigno,
Et domum cingentis olente flore
palmitis instar,

Masculus prodit modò, jamq; gnata,
Hæc refert matris, patris hic figuram:
Hæc subit commune jugum, & dolorem
rebus in arctis:

Hæc domus est firma columna semper.
Ergo nil vitâ hac, melius, nihilve
Svavius, si justa Venus duorum
pectora nectit

 Hine

Hinc novo sponso meritò, & venustæ
Barbaræ sponsæ pia vota dico,
Ritèq; appellat mea ter beatos
Calliopea.

His tuis insistere sponse cæptis
Perge, tædis dives is ex Sionis
Arce Rex altâ dabit affluenter
dona secunda,

His tuis felix fruere, utierq;
Perge cæptis Sponsa novella, bella.
Gnatus æterni ipse Dei beabit
vos ope largè.

Τὸ εὐκτικόν

Τῷ γάμῳ ἐκ πολλοῖο χαρέσθον ὁμόφρονε τ' ἄμφω.
Καὶ εὐδαίμονε, καὶ τοῦ ἔρωτος
ὑμετέροιο ἐτῆσι ἀεὶ καρπώμαθ' ὁρᾶσθον
Καὶ τοῦ ὀλύμπου χάρματα τέρμα.

David Ludovicus Mariab. Boruß.

IV.

CErtè non fatuo fiunt connubia Fatô;
Sed fiunt Fatô fœdera cuncta tori:
Omnia nam votis dant cœlica Fata modestis,
Et quid VOTA VOLUNT, ID pia FATA (VOLUNT.
Hinc fuit in votis, quod dant tibi cœlica Fata.
Nempe piam SPONSAM fœdere connubij:
Hinc benè res agitur tecum: dum Sydere dextro
Conjugij casti vincula casta subis.
Qui vos per Fatum conjunxit fœdere firmo,
Is tribuat votis prospera Fata precor.

In matrimonij honorem & Novorum conjugum amorem affixit
Otto Hoppe Suerinensis Megap.

V.

E St ita: nunc toto sævit Discordia in orbe,
Et Mars sanguineus barbara bella movet;

Barbara bella movet fluitantiâ sanguine multo,
Quêis toto in mundo splendida regna ruunt.
Tu properas Clypeo jucunda in prœlia casto,
Dum Neonymphe tibi non fera bella placent.
Bella puella placet, quæ spernit barbara bella,
BARBARA, quæ nomen, non tamen omen habet.
Hæc Neonymphe tibi Fatô nunc jungitur apto:
BARBARA nam bella est: quam cupis, ecce capis.
Mutua quapropter vos bella movete labellis:
Namq; Deo summo talia bella placent,
Sic ambos bellâ faciet vos prole parentes
BARBARA sic Victrix sic quoq; Victor eris.

τῆς εὐνοίας ἕνεκα scriptitabat
Iacobus Hoffmannus Driesensis March.

VI.
JOHANNES DILLIGES,
BARBARA WERTHERIANA.
ἀναγραμματιζόμενοι assumto c. & p. pro g.
EN HORA TI CHARA! PARAN'?
LUBENS I: SUBI: REDI: ALE.
Ἐξήγεσις.

NAuclerus vigilans ut trabe Cypriâ
Ponti cærulei marmora dissecans,
Non horret crepitantis
Venti rauca volumina;
Nec Syrtes metuit, Saxa nec horrida,
Quæ nutrit Pelagus, dum fragilem ratem
Tradit fluctibus altis,
Quo fœnus referat bonum.
Sic fortis Iuvenis Divæ Amathuntiæ
Committens animi navigium suum,

Non

Non formidine torquet
Mentem ob tela Typhôea;
Non horret stygij texta Ducis fera,
Sortem resq; suas dum fidei DEI
Subdit, sæpè petitam
Metam attingere quò queat.
Sic Tu SPONSE diu dum Veneris rate
Iactaris, tamen hinc non treme factus es,
Horâ ast conveniente
Portum & littus adeptus es.
Hæc EN HORA TIbi CHARA venit! PARAN²?
Cingas illicò Te, nam pia jungitur
Virgo, è millibus una
Multis quæ tibi complacet.
Quarè SPONSE LUBENS I: thalamum SUBI,
Multa & mente fove gaudia: pòst REDI
Iussa ad munia: namq;
Mites sic voluêre DI.
Uxoremq; ALE non lautitijs modò;
Ast & blandisonô (quum malus ingruit
Horror) Colloquiô adsis.
Totum muneris hoc tui est.
Fortunet thalami fœdera casta, qui
Canæ vertit aquam in vitea pocula.
Litiu vita sit expers;
Vitiu sed torus æmulus.
Honoris E. Scrib.
Ioachimus Müllerus Bernwaldiâ-Pom.

VII.

M*Agna ferant magni: parvus dabo parva*
Metra, tamen comprendam maxima parvis.
Concors & felix Sponsis, precor, hisce
Conjugium, Sponsâ cum Sponsus & annos
Multos & lætos vivat valeatque.
Fac rata Sancta Trias mea Vota precantis.
Zacharias Cramerus Jun:

